



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

LXXI. Ut obedientes sibi invicem sint Fratres. Subdere mandato Seniorum,
& corpore strato Offensas leni, vulnera dura seni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

o) *Id est, indiscretè processerit.*

p) *Tob. 4. verbis similibus.*

q) *Intellige, rationabiliter: fortè enim Judex aut Superior, si esset loco subditi delinquentis, puniri se pro delicto nollet; sed quia hæc voluntas irrationabilis esset & æquitati repugnans, omnino tenetur facere oppositum.*

29. APRIL. 29. AUG. 29. DECEMB.

CAPUT LXXI.

Ut obedientes sibi invicem sint Fratres.

Obedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus; sed etiam sibi invicem *a* ita *b* obediant Fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmissis ergo Abbatibus aut Præpositorum *c*, qui ab eo constituuntur, imperio [cui non permittimus privata *d* imperia præponi] de cætero omnes juniores Prioribus *e* suis cum omni charitate & sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus *f* reperitur,
cor-

corripiatur. Siquis autem Frater pro
 quavis g minimâ causâ ab Abbate, vel
 à quocunque Priore h suo corripitur quò-
 libet modo; vel si leviter senserit ani-
 mum Prioris cujuscunque contra se ira-
 tum vel commotum, quamvis modicè;
 mox i finè morâ tamdiu prostratus l in
 terrâ ante pedes ejus jaceat satisfaciens,
 usque dum benedictione m sanetur n
 illa commotio. Quòd si quis contempse-
 rit facere, aut corporali vindictæ o sub-
 jaceat, aut, si contumax p fuerit, de Mo-
 nasterio expellatur q.

a) Non quòd junior quivis aut subditus ha-
 beat imperare, Senior aut Superior parère;
 sed quòd pro ratione officiorum V. G. Can-
 toris, Ceremoniarii &c. certam aliquando
 subordinationem exigentium, vel secun-
 dùm vices hebdomadarias ministerii Alta-
 ris, mensæ aut coquinæ, debeat alter alteri
 subinde juniorei inservire ac deferre. Me-
 morabile hîc est, quòd S. noster Anselmus
 in Angliam reversurus ab Urbano II. eni-
 xè petièrit, obtinueritque viæ comitem Edi-
 nérum Monachum, à cujus nutu & vo-

- luntate pendens, etiam in Archiepiscopatu haberet obediendi locum & meritum.
- b) Id est, similiter. Alii omittunt.
- c) Seu Superiorum.
- d) Id est, aliorum non Superiorum.
- e) Id est, Senioribus.
- f) Contra ejusmodi imperia.
- g) Subintellige, etiam vel licet.
- h) Sive Superiore, sive Seniore.
- i) Intellige, quamprimum fuerit occasio, sive in-sive extra Capitulum.
- l) Ex more antiquo apud Cassian. Sc. ad denotandam majorem humilitatem. Cassianenses tamen non prostrati, sed genuflexi culpam dicere perhibentur.
- m) V. G. hac expressâ in Statutis pag. 203. Frater indulgeat vobis Dominus; à satisfactione cessetis.
- n) Id est, monstret se sanatum, vel jam cessare.
- o) Scil. jejuniis, disciplina regulari aut alteri afflictioni juxta arbitrium Superioris.
- p) Sive obstinatus in malo.
- q) De quo vid. notata c. 28. lit. g.

30. APR.